



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

32 Quarta duae quandoque deducuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

- quod possint confraternitatum scholæ ad libitum constructoris dissolvi, *ut in eod. conf. 31. nu. 2.* quia, quicquid esset olim, hodie à communiter accidentibus omnes confraternitates habent oratoria, in quibus divina celebrantur, campanile, campanas, sacristiam cum paramentis, ac omnibus alijs ad usum ecclesiæ non parochialis necessarijs, & proprios capellanos pro celebratione Missarum, quapropter non possunt ad libitum constructoris dissolvi; quia oratoria ¶ sunt Deo dicata, & semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendam, *c. que semel, 19. q. 3. c. adhuc, extra de relig. dom. & ibi gloss. in ver. mundanis, & c. semel Deo dicatum, de 3 reg. jur. in 6.* Nec obstant quod non sint consecrata, quia ecclesia ¶ non consecrata gaudet eodem privilegio, quo consecrata, & obsequijs divinis dicata, nullius sunt temerarijs ausibus prophananda, *cap. penul. ext. de imm. Eccles. & c. ult. & ibi gloss. in ver. non consecrata, de consec. Eccl. vel Alt.* Ex quibus post Covar. loco supra citato, quod de legatis confraternitatibus factis debeat Episcopis de jure quarta, ut verè & communi opinionem me subscribo, dummodò in contrarium non obstet præscripta consuetudo.
- 27 Videtur etiam Episcopis ¶ debita quarta pars oblationum, *c. de his, cap. antiquos, 10. quest. 1. cap. concessio, & cap. vobis, 12. quest. 2. Abb. in cap. ult. circa fin. de testam. & Covar. in d. cap. officij, in princ. sed dicta jura habebant locum, & servabantur antiquis temporibus, quando Episcopi erant pauperes, ut supra deduxi, Sed cum postea ceperint habere redditus competentes, fuerunt dicta jura reformata, ita quod Episcopis nihil deberetur præter Cathedralicum, *cap. 1. 10. quest. 3. & gloss. in d. c. de his, 10. qu. 1.**
- 29 Idè quadragenaria ¶ temporis præscriptione circa quartam oblationum clerici se tueri possunt, *cap. de quarta, & ibi gloss. ext. de præscript. & Abb. in d. conf. 31. nu. 3. vers. itaque.* Debetur quarta Episcopalis solum ab ecclesijs Episcopo subiectis, propter communionem, quæ est inter Episcopum, & ecclesiam sibi subiectam, (sed inter ecclesiam exemptam, & Episcopum communio cessat, & ratione oneris, quod sustinet Episcopus circa curam ecclesiarum sibi subiectarum, quæ ratio etiam cessat in exemptis, vel in recognitionem superioritatis, quæ pariter ¶ in exemptis cessat, à quibus quarta Episcopo non debetur, Innoc. in d. cap. officij, in princ. & ibi Abb. n. 6. Fed. de Sen. in conf. 96. Bal. in l. si quis ad declinandum. §. in omnibus, num. 6. & nu. 11. C. de Episcopis, & cler. idem Abb. in conf. 37. n. 1. vers. sed certè, par. 1. & Felyn. in d. cap. quarta, in princ. vers. & tenementi, de præscript.
- 31 Quarta enim ¶ exemptorum debetur Papæ, qui est Ordinarius, & Episcopus exemptorum, *c. auctoritate, de priv. in 6. & Abb. in d. c. officij, num. 8.* qui testatur hanc esse communem Doct. sententiam, quæ tamen quarta fuit per Constitutionem Papæ clem. V. parochijs concessa, ut in d. clet. dudum, de sepult. Et cum Episcopi quartam ab ecclesijs sibi subiectis tantum percipiant, parochialium rectores illam percipiunt jure parochialis à Regularibus exemptis, per d. clem. dudum de sepult. cum alijs supra allegatis, quibus addo. Abb. in dict. conf. 17. num. 2. Nam etiam contingere potest, quod ab uno, & eodem legato ¶ duæ quartæ deducantur, ut quando lega-

legatum relinquatur ecclesie seculari, in qua testator omissa ecclesia parochiali sibi elegit sepulturam, quoniam debetur ex eo quarta Episcopo, cui ecclesia subdita est, & alia quarta ecclesie parochiali, Abb. in dict. cap. officij, num. 5. in fin. & in cap. certificari, ubi, quod tali casu prius est deducenda quarta parochialis Ecclesie, numer. 11. de sepult. & Covar. post alios, quos citat in eo. cap. officij, numer. 8.

Decimarum † Quarta etiam Episcopis à clericis debetur, d. c. conquerente, de offic. 35 ordin cap. de quarta, ubi gl. in vers. se posse, Hostien & Ioann. Andr. de prescr. Rebuff. in d. tract. de deci. qu. 3. num. 14. & Monet. quest. 7. num. 14. eod. cit. dummodo non sit prescripta, quia de quarta decimæ, & oblationis defunctorum clericus ab impetitione Episcopi quadragenaria temporis prescriptione se tueri potest. d. c. de quarta & c. illud, de prescript. Abb. qui hanc dicit communem opinionem in dict. conf. 31. circa fin. par. 1. & in conf. 26. numer. 5. par. 2.

Et pari modo regulares prescribunt quartam funeralium, & legatorum contra parochos † spatio quadraginta annorum, quia Ecclesia se potest aduersus ecclesiam quadragenaria temporis prescriptione tueri, c. illud, & gloss. in c. de quarta, in verbo quadragenaria, extra de prescript. in rebus autem ecclesiasticis prescriptio est quadragenaria, c. dilecto, c. ult. de consue. & c. Romana, de elect. c. cum ecclesia de caus. poss. & proprie. c. de quarta, & c. ad aures, de prescr. etiam sine titulo, quo ad prescriptionem libertatis † non solvendi quartam decimarum, nec oblationum, aut legatorum: Sed si una ecclesia fundat suam intentionem in prescriptione quadragenaria percipiendi decimas in aliqua parochia, cum talis perceptio sit contra jus, titulus est necessarius, ad tantum temporis spatium, cuius initij memoria in contrarium non existat, c. 1. de prescr. in 6. c. ad decimas. derestit. spol. eo. lib. gloss. in c. ad aures, in verbo quadragenaria, extra de prescr. & Abb. in d. conf. 26. num. 4. par. 2.

## DE CENSIBVS.

### Cap. XV.

#### S Y M M A R I V M.

- 1 Census antiquus, quomodo creabatur.
- 2 Census antiquus à censu ad prescriptam formam constitutionis Pij V. differt.
- 3 Census antiquus constituebatur cum translatione utilis & directi domini.
- 4 Dominium utile, & directum in censu novo non transfertur.
- 5 Census ad prescriptam formam constitutionis Pij V. super re immobili, & certis finibus designata constitui debet.
- 6 Confiniū expressio sit ad rei demonstrationē.

AAA 2

Recd.